SUFFRAGIUM
F. NICOLAI BUICO DE SPINAZZOLA.

Excellentissimis, & Reverendissimis Patribus

SACRI THEOLOGORUM COLLEGII

Proponuntur rationes, & argumenta, quibus, nedum valida ostenduntur duo Matrimonia a Viro Dei PYRAUSTA contracta, sed etiam demonstratur eumdem illis duobus prudentissime se gessisse, & heroicum in virtute prudentiæ attigisse.

PRO quo nihil duxi præmittendum, per quod animos vestros reddam benevolos, dociles, & attentos; quoniam de primo mihi non dubitandum; cum plùries, & pluries de vestra in me benevolentia non obscura senserim testimonia; frustra quoque moram traherem in secundo; nam res, de qua agitur ob suum gravissimum, & singulare, omnium fere Christiani Orbis aures implevit; de tertio esset aliquid suspicandum, qua tenue, & imbecille meum agnosco, non qua amplum, atque profundum vestræ humanitatis intueor; cui fretus attentionem omnem præstandam mihi polliceor, præsertim, cum meum ineptum sit brevitate pensandum.

Igitur quocumque eloquentiæ telo discinctus primam partem aggredior de validitate Matrimonii utriusque a Pyrausta contracti; & spondeo in resolvendo me nunquam recessurum a verbis, & circumstantiis, ut in proposito dubio scripta sunt, & significant.

Id primo conatu fideliter præsto; nam ad verbum trascripsi partem hanc, quæ in narratione, seu propositione dubii sic est: *Sociam sibi quærere cogitavit, talem quidem, uti dictitabat, cum qua si possibile afforet, vivere liceret in casto, & virginali connubio ad instar S. Patriarchæ Joseph cum Sanctissima Sponsa Virgine Deipara &c.*

Expendo nunc conditionalem illam (si possibile afforet) & tanti ponderis eam adverto, ut mihi sit via planissima ad ostendendum in Pyrausta potuisse conciliari totam substantiam, vel essentiam Matrimonii non seclusa aliqua voluntate formali ad copulam conjugalem simul cum proposito virginitatis perpetuæ. Id exemplo mercatoris periculosa tempestate jactati demonstro; hic enim esto intenderet principaliter a jactu suas merces eripere; tamen, quia cum hac intentione conjungit conditionem hanc (si hoc erit possibile); ideo cum intentione absoluta salvandi merces voluntatem quoque conditionatam adnectit; qua, si urgeat, impellatque discrimen vitæ, atque naufragii, vult quoque conditionate projicere merces suas. Pyrausta noster in utroque conjugio hanc conditionem apposuit, & expressit (si possibile afforet); & hoc possibile, nedum sonat possibile physicum in voluntate, quæ carere potuit actu imperante, & applicante potentias sensitivas ad actum copulæ, sed etiam morale possibile, quod primo includit: si Deus illa auxilia, quæ aliis vicibus in conflictibus contra Venerea large præstitit, nunc quoque præstabit; si gravissimæ tentationes, quibus gratia par non esset, non pulsabunt; si suis Conjugibus debitum non petituris, nec voce, nec signo, vel saltem mœrore aliquo, & virginitatem viri, & suam æquo animo toleraturis; si ipsæ Conjuges promissis, precibus, & documentis sint adducendæ, ut matrimonialem voluptatem hilariter fugiant, imo abhorreant, veluti factum est a Nereo, & Achilleo cum Domitilla jam desponsata; sane his, aliisque conditionibus sublatis habuit Pyrausta voluntatem conditionatam ad copulam. Hinc fit, ut etiam si ad essentiam matrimonii requiratur voluntas formalis ad copulam, jam in duobus Pyraustæ conjugiis, in quibus voluntatem servandi virginitatem perpetuam modificavit illa conditione (si possibile afforet) reperta est etiam voluntas formalis, conditionata tamen ad copulam.

Ad id evincendum, & manifestius declarandum, Scoti doctrinam in 4. d. 30. q. 2. C. erutam ex c. Commissum de Sponsalibus in medium afferre non pigeat. Docet igitur Scotus juxta Canonem allegatum in contractu matrimonii mutuuam esse traditionem corporum ad copulam carnalem cum conditione saltem implicita, si petatur. Hinc fit contrahentes cum proposito statim vovendi castitatem vere contrahere, & conditionem hanc de copulæ voto castitatis voto non præjudicare, posito etiam contractu matrimonii, nisi illa, idest copula in effectu ponatur. Per hanc doctrinam, fere ad verbum, ex cit. capite haustam salvat Scotus inter B. Virginem, & D. Joseph verum Matrimonium extitisse absque copula actuali; quia esto Maria Virgo voverat castitatem, tamen sibi fuerat revelatum non commiscendam fore cum Joseph; & simul habere potuit intentionem copulæ implicitam, atque conditionatam, si, scilicet, petatur. Conditionalis allata solum per collectionem, & opinando a Scoto, aliisque Doctoribus in Matrimonio Deiparæ est asserta; cum nusquam in S. Textu habeatur expressa. At noster Pyrausta expressit satis superque voluntatem conditio-

natam in copulam, dum dixit, & protestatus est se victurum in castitate cum nova nupta, si possibile afforet; quod infert possibilitate sublata se descensurum in copulam.

Solidatur id magis per factum, quod narratur in c. Commissum de Sponsalibus, de quodam, qui cum juramento promiserat matrimonium, & postea hic ductus Spiritu altiori in Religionem voluit commigrare. De hoc viro legitur statutum ibidem, ut prius contraheret matrimonium, deinde in Religionem ingrederetur. Reor contrahentem hunc vix habuisse voluntatem conditionalem, & remotissimam ad copulam, quia per ingressum ad Religionem imminentem illa sibi præcludebatur omnino. Quo tamen nihil obstante, ob reverentiam juramenti, quo se obligaverat ad matrimonium, coactus est prius contrahere matrimonium, quam Religionem ingrederetur.

In hoc facto debet esse certissimum, Matrimonium illud jussum contrahi ab Ecclesia non fuisse invalidum, sed verum, legitimum, & etiam Sacramentum; at in eo alia voluntas conditionalis virtualis, vel implicita excogitari non potest, quam illa, quam remotissimam dixi, puta si contrahens ille post initum matrimonium revocasset propositum ingrediendi Religionem: tunc tenuitate intentionis hujus ad copulam nihil obstante validum, & verum fuit matrimonium, aliter Ecclesia præcepisset fieri aliquod invalidum, & Sacramento prorsus injuriosum.

Fuit responsum ad hoc ineluctabile argumentum per juramentum matrimonium illud, alioquin invalidum ex sui natura, redditum fuisse validum.

Sed quis unquam audivit doctrinam huic similem? Juramentum hoc defert, ut ea, quæ dicuntur, vel promittuntur, si vera sunt, legitimeque promissa, magis firmentur in veritate, & tutiora reddantur; numquam vero juramentum virtutem hanc habet, ut contractum aliquem ex se invalidum traducat ad validum. Hoc patet in contractibus quibuscumque juratis; præsertim in illo donationis, quæ fit ab impuberi; hæc enim esto jurata, tamen a jure rescinditur. Item si quis duo iniret sponsalia, & prima non essent jurata, secunda vero cum juramento, in casu hoc Jura, Doctoresque definiunt standum esse prioribus sponsalibus non juratis. En quomodo juramentum roborat quidem, firmatque contractum, non vero de invalido potest validum reddere. Ex infirmitate igitur mox confutatæ responsionis evidentissimum fit quanti roboris sit argumentum ex cap. commissum de sponsalibus depromptum.

Patet etiam quantum illud faveat nostro invito Pyraustæ; nam duo Matrimonia Pyraustana esto præcesserit propositum continentiæ, tamen præcessit quoque conditionalis illa (si possibile afforet) in qua includitur voluntas aliqua saltem virtualis ad copulam.

Hæc voluntas virtualis, vel implicita satis est ad matrimonii substantiam, & essentiam; & id, nedum Scotus asseverat, innumerique cum eo Doctores, sed præ cæteris D. Thom. in 4. dist. 30. qu. 1. art. 2., quæstiun. 2. ubi docet *Beatam Virginem implicite in copulam consensisse, at copulam nunquam fuisse in proposito, erat enim Maria a Deo facta certior copulam nunquam subsecuturam.*

Præterea valde notandum illos, qui contrahunt cum intentione determinata ingrediendi Religionem, & sic exequuntur, vere, legitimeque contrahere matrimonium, & tamen isti nullam habent intentionem actualem ad copulam, imo habent actualem contrariam. Isti ergo intantum valide contrahunt, quia per Matrimonium contraxerunt obligationem ad copulam; & si tales contrahentes privilegio dispensationis divinæ non utantur, tenentur exequi id, ad quod per matrimonium se obligarunt: fieri namque potest, ut quando contrahunt, mutent voluntatem, qua voluerunt Religionem; & tunc tenebuntur reddere debitum, & copulam exercere: hæc vero ad copulam obligatio ortum duxit ex Matrimonio. Quocirca fit evidens contrahentem cum intentione ad Religionem, habere intentionem implicitam ad copulam eandem. Hanc quoque intentionem habent, qui se steriles esse norunt, & virtute talis intentionis valide contrahunt matrimonia. Noster vero Pyrausta ponendo conditionem illam (si possibile afforet) apertius visus est copulam voluisse, nam possibilitatis conditione sublata ad copulam descendisset.

Moneo nunc negantes validum in matrimoniis Pyraustanis prætextu propositi de virginitate servanda demoliri etiam, & fortius Matrimonium Josephi cum Deipara; in hoc enim quoque præcessit votum Hebræis puellis insolitum de Virginitate servanda; & tamen duce Magistro Sententiarum in 4. Senten. Theologi omnes docent fuisse verissimum Matrimonium; prius etiam hoc idem docuerat Augustinus, qui in c. Beata Maria relatus dicit: *inter Mariam, & Joseph fuisse consensum cohabitandi, & individuam vitæ consuetudinem retinendi, & eos vere conjuges extitisse.* Hoc idem habetur ex cap. omnis itaque 27. qu. 2. Denique Gabriel Angelus testatus est, dum dixit Joseph: *Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam.* Est autem contra usum communem loquendi eos conjuges nuncupare, qui matrimonium de præsenti non contraxerunt; conjugium namque ab unitate jugi, & vitæ maris, & fœminæ est derivatum. Merito dixi negantes validitatem in Pyraustæ conjugiis fortius demoliri conjugium Mariæ cum Joseph; quia Matrimonium plus videtur repugnare cum voto virginitatis perpetuæ, quam cum simplici ejusdem proposito; & Pyrausta non votum, sed propositum simplex de virginitate servanda in suis conjugiis solum præmisit.

Magis, magisque validatur Scoti, & D. Tho. Sentent. per id, quod habetur ex. de verborum significat. c. exiit, & est hodie in 6. lib. ubi dicitur sententialiter, retento dominio concedere aliis usum non est inutile, quia usus ille necessarius est utentibus. Per hanc doctrinam evincitur saltem dominium, & usum separabilia esse inter se; dixi (saltem); nam ut Scotus monet, licet possit retineri dominium usu traslato; tamen non videtur magis fieri posse, ut transferatur dominium usu solo retento, & hoc accideret in matrimoniis Pyraustanis; in quibus Pyrausta per matrimonia transtulisset dominium sui corporis in suas Conjuges, & retinuisset sibi usum per propositum virginitatis servandæ; docet ergo Scotus per allatum Canonem solum evinci alicui posse competere unum illorum, non vero alterum; At quod possit retineri usus translato dominio probatur per illud c. commissum de sponsalibus; ubi præcipitur illi, qui sponsalia jurata contraxerat, & postea votum, vel propositum emiserat ingrediendi Religionem, ut prius contraheret matrimonium, & postea Religionem ingrederetur. In hoc facto clarissime apparet translatum fuisse dominium sui corporis per matrimonium, & usum fuisse retentum per votum, sive propositum.

Addit Scotus adulteram, quæ habet potestatem in corpus legitimi conjugis; quia illa data fuit sibi per Matrimonium, & indefectibiliter: tamen non habet, nec potest habere usum corporis illius propter peccatum suum. Sed hoc quoque

probat posse retineri dominium amisso usu; non autem e contra; & ideo doctrina hæc de adultera solum probat illa duo esse separabilia inter se; & illa sola ratio ex c. Commissum probat posse transferri dominium usu retento.

Rursus validitas Matrimoniorum Pyraustæ probatur per illud, quod habetur in c. Beata Maria 27. qu. 2., & est Augustini, in quo sic *Beata Maria proposuit se servaturam votum Virginitatis in corde, sed ipsum votum virginitatis non expressit ore: subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam Virginem, nisi Deus aliter revelaret; committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam: non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo*. At ajo ego, Pyrausta non solum corde, sed etiam ore se divinæ dispositioni subjecit; nam non semel, sed sæpius indicatum per verbum frequentativum, dictitabat, conditionem illam (si possibile afforet) appofuit, & per conditionem hanc quis non videt eum in carnalem copulam consensisse; & quis non videt eundem non appetendo carnalem copulam, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo sic consensisse? hoc patet, quia faciendo Virginitatis propositum, illam certe non concupivit, sed refutavit: motivum vero altissimum, quo motus est Pyrausta ad duo Matrimonia contrahenda ad similitudinem Matrimonii Deiparæ cum D. Joseph, & felicissimus secutus eventus satis monstrant non temere, sed Deo specialissime inspirante fuisse permotum.

In allegata Augustini sententia notetur particula illa (*nisi Deus aliter revelaret*,) quæ indicat conditionate Mariam Virginem in copulam consensisse; & erubescant irrisores Scoti, & D. Thomæ subtilitatum, qui dum docuere voluntatem conditionatam implicitam, vel virtualem ad copulam sufficere ad faciendum validum Matrimonium, hanc doctrinam hauserunt ex Augustino, & ideo D. Thomas in art. pr. cit. dixit: *Virginem implicite in copulam consensisse*: imo in art. 3. ejusdem qu. 2. ait *sine hac implicita voluntate Matrimonium non posse consistere*.

Hæc etiam fuit Doctrina Doctoris Seraphici in 4. d. 30. par. pr. qu. 2.

Nec sequitur in Pyrausta fuisse duas voluntates contrarias, quod nimis repugnat; nam tunc duæ voluntates solum sunt repugnantes circa duo objecta contraria, quando ambæ sunt actuales, & absolutæ, non vero quando una est absoluta, altera vero conditionalis; & sic in Pyrausta fuit vuluntas absoluta, & efficax Virginitatem servandi; & cum hac potuit conjungi quoque conditionata voluntas ad copulam, quæ fuit expressa per illa verba (si possibile afforet); & ideo illæ duæ voluntates, quæ videntur contrariæ, non repugnarunt in eodem Pyrausta, velut similes voluntates in eodem Mercatore non pugnant, dum vult, quantum in se est salvas facere merces, & vult conditionate easdem projicere, si scilicet vitæ periculum urgeat, & impellat.

Denique accedo ad Achillem adversantium profligandum, & est ex cap. finali de conditionibus appositis, in quo sic habetur: *Si conditiones contra substantiam Matrimonii inserantur, quia si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas*: hæ conditiones ex cit. cap. invalidant Matrimonium, quia sunt contra substantiam Matrimonii. Simile quid censuit D. Augustinus in lib. de bono conjugali cap. 5., & adducitur in 38. q. 2. cap. solet; sed Pyrausta præmittendo Virginitatis propositum voluit aliquod contra substantiam matrimonii, quia voluit ne proles sequeretur ex matrimonio; inde sequitur ejus matrimonia fuisse prorsus invalida.

Ad id dico aliud esse velle obligationem ad prolem, & fidelitatem, & vinculum, & aliud est velle illam non observare in executione, & quoad effectum. Istæ duæ intentiones inter se non repugnant, sicut non repugnant hæ duæ consimiles: velle esse Christianum, & velle non observare; hæc enim secunda non pugnat cum vero Baptismo, veroque Christiano, etiam si hic intenderet nihil credere de articulis Fidei, postquam habuit intentionem suscipiendi verum Baptisma, & fieri voluit vere Christianus. Hac præmissa doctrina facilime fortissimus Achilles ille prosternitur; nam uti patet ex modo narrandi, qui fit in allato Textu, illi, qui inducuntur apponentes conditiones allatas, nullam intendunt obligationem subire: hoc patet; nedum quia dicitur: si conditiones contra substantiam inserantur; sed etiam, quia in una conditionum sic est: *vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem*: per quod aperte indicatur contrahentem nullam velle suscipere obligationem, ad indissolubilitatem, & Sacramentum. Secus se gessit prudentissimus noster Pyrausta, nam primo sibi sociam quærere cogitavit, sed cum qua vivere liceret in casto, & virginali conjugio ad instar Sancti &c. En volendo conjugium voluit quoque quamlibet obligationem necessario sequentem ad Matrimonium: tum quia per conditionem appositam intelligitur voluisse intentione aliqua formali, conditionate tamen, etiam copulam maritalem. At quia proposuit vivere cum sua Conjuge ad similitudinem Mariæ cum Joseph; ideo solum non voluit executionem, & effectum obligationis illius.

Et sane si nullum hæc mea distinctio robur haberet, ruerent omnia Matrimonia, quæ a Sanctis Viris, & fœminis in Orbe Christiano, nedum cum proposito, sed cum voto servandi virginitatem contracta sunt.

Idem dicendum, & respondendum ad Augustinum citatum in argumento, loqui scilicet de iis, qui nullam habuerunt voluntatem ad obligationem ad copulam, non vero de iis, qui non voluerunt executionem obligationis illius. Si vero adducatur idem Augustinus lib. 19. contra Manichæos, ubi ait *Matrimonium inde appellari, quia fœmina nubit, ut mater filiorum efficiatur*, quod nequit haberi, nisi intendatur copula ejus cum viro; hoc nihil obstat, quia Augustinus innuere solum voluit in Matrimonio acquiri a contrahentibus dominium mutuum in sua corpora in ordine ad copulam carnalem; cum ratio Matrimonii sita sit in tradendo tantum jus, & potestatem ad copulam; & in tali traditione libera includitur quoque consensus implicitus, & virtualis ad copulam. Beccanus vero, Caspensis, Petrus Lebatus, aliique recentiores substinent hunc consensum implicitum, per quem contrahentes feruntur in copulam, intelligendum esse ex parte contractus, non contrahentium.

Est adhuc instantia dissolvenda, nam in relato cap. fin. de conditionibus appositis, hæc est conditio; si generationem prolis evites; at si ante matrimonium contractum pacifcerentur Sponsi de voto Virginitatis servandæ, jam quoque pactum inirent, & conditionem apponerent de generatione prolis vitanda; ideoque conditio voti, vel propositi de virginitate est quoque contra substantiam matrimonii; atque similiter reddit irritum matrimonium.

Est plana responsio ad hanc instantiam, nam Pontifex in cap. illo intelligitur de generatione impedienda, sed tamen copulam exercendo, quæ quidem conditio est contra substantiam Matrimonii:

nii; essentiale enim est Matrimonio, ut Conjuges subeant obligationem non impediendi prolem in copula conjugali, & educandi nascentem; unde si contrahentes ad id se non obligandi haberent intentionem, & animum, aut obligandi se ad oppositum, scilicet ad sumenda venena, quæ sterilitatem inducant, aut enecandi nascentem, utique esset irritum Matrimonium, quia contractum fuisset cum conditione, quæ est contra substantiam Matrimonii. At Matrimonia duo Pyraustæ cum Virginitatis Proposito excludebant usum dominii, & potestatis, qui usus non est de essentia Matrimonii, cum Conjuges illo se valeant perpetuo abdicare, postquam contractum est Matrimonium, quia non est de substantia Matrimonii, non vero excludebant dominium, & potestatem, nec obligationem, quæ fit de essentia Matrimonii. Tum quia Matrimonia Pyraustæ fuere cum proposito conditionato Virginitatis conjuncta, & ideo (ut dixi superius) involvebant aliquam voluntatem formalem conditionatam ad copulam.

Nolo omittere hic, quod fuit a P. Theologo uno bis, terque pronunciatum, nedum in primo, sed etiam in secundo congressu, & est, tunc virginitatis propositum stare posse cum Matrimonio, cum sequitur matrimonium jam contractum; cum vero antecedit, tunc semper destruere matrimonium.

At hæc doctrina nedum destruit matrimonium Deiparæ cum Joseph, in quo Maria longe ante contractum, votum virginitatis emiserat; sed etiam illud, quod retuli ex c. commissum, in quo ille, qui juramento sponderat matrimonium, & postea voluit ingredi Religionem, coactus est prius contrahere matrimonium, & postea ingredi Religionem. In hoc quis non videt propositum, seu votum de Religione præcessisse? Et licet 27. qu. 1. c. nubentes habeatur *voventes continentiam non posse nubere*; tamen ibidem cap. nuptiarum, & c. quidam, & c. Si vir definitur *si nubant, non separentur*. Destruerentur etiam omnia Matrimonia, quæ ab Ecclesia permittuntur contrahi ab iis, qui mox sunt ingressuri Religionem. Demum lex illa est de voto, non de proposito.

Prudentia summa Pyraustæ in duobus Matrimoniis propugnatur.

HÆc prudentia potest primo firmari per conditionem, quam Pyrausta proposito Virginitatis adjecit (si possibile afforet); per hanc enim ostendit se non certitudinem infallibilem de futuris divinis auxiliis præsumpsisse, sed memorem illius Apostolici moniti: *Qui stat, videat ne cadat*; voluisse conditionate tanto æquori se committere; nam si Virginitatis perpetuæ propositum non sibi cum sperata felicitate cessisset; nullius temeritatis, imprudentiæ, inconstantiæ fuisset nota culpandus.

Et revera prudentissimi Viri, atque sensati, qui probe norunt numerum sine numero impedimentorum, per quæ possunt impediri promissionum effectus, quando promittunt, fere semper cum conditione promittunt. Ex quo fit, ut si conditione non posita promittens promissa non impleat, nullus culpæ sit reus, nec obligatione aliqua teneatur.

Jam dixi conditionem illam (si possibile afforet) ad moraliter quoque possibile extendendam; nullo enim restringente, aut ad minorem significationem trahente addito est coarctata possibilitatis illa conditio: imo si aliqua est in illo possibili adstruenda restrictio, existimandum est Pyraustam sibi proponentem Objectum, tam pium, tam sanctum, & tam arduum, ad illum præcipue suum direxisse, possibile, qui dixit: *sine me nihil potestis facere*. Quare si Deus Pyraustæ sperata denegasset auxilia, quæ *singulis dat prout vult*, & Pyrausta in maritalem copulam descendisset; neminem puto tam districti rigoris futurum, qui in Pyraustæ proposito levitatem, & imprudentiam accusasset; nam Pyrausta conditione amplissima non restrictæ possibilitatis se ante muniverat. Quo circa, veluti quis alteri pollicens donum, & mutuum sub hac eadem conditione, si mihi erit possibile, si postea impossibilitate id prohibente non det mutuum, neque donum, nullius imprudentiæ aut levitatis fit reus; sic Pyrausta, quia fuisset consuetis divinis auxiliis destitutus, vel quia hæc eadem non fuissent suis communicata Conjugibus ad annuendum viri proposito; vel quia in viro, atque conjugibus tentatione validissimæ, & insuperabiles emersissent, vel aliis occurrentibus impedimentis non vincibilibus, quæ numerari non possunt; si Matrimonium consumasset, vituperandus non esset; quasi se gessisset imprudenter, & leviter in faciendo propositum; quia conditionate illud ediderat; quin potius commendandus esset ut prudens, & providus; quia sagacissime prævidisset a quot, & quantis poterat impedimentis urgeri; & ideo maluit conditionate, quam absolute suum efferre propositum.

Eant nunc criminantes in probo, & prudente Pyrausta peccandi periculum, cui se per propositum virginitatis expofuit; nam invenirі non potest tale peccatum, de quo potuisset esse periculum; non enim peccasset, quia proposito non stetisset; nam propositum conditionatum, non absolutum hoc fuit; nec peccasset in copula exercenda, quia vi conjugii præcedentis illa sibi non fuit illicita. Fuit dictum in primo congressu habito ab octo Theologis ideo se exposuisse peccandi periculo, quia Pyrausta aggressus est opus arduum, perdifficile, & omnino superans humanas vires: & cum ego subjecissem tot Martyres, qui tormentorum, & mortis arduo nihil obstante se sponte obtulerunt Tyrannis, & Fidem Christianam propugnaverunt, & defenderunt, non rogati, nec requisiti, præ cæteris Georgius, & invictissima Catharina; nec tamen isti Martyres se exposuerunt peccandi periculo ob hoc, quia se libere obtulerunt operi, & facto, nimis arduo; cum tamen aliqui, inter quos Marcellinus Summus Pontifex, vi tormentorum adacti fidem negarunt, & coluerunt Idola gentium.

Responsum fuit ab uno disparem esse rationem inter bonos Martyres, & Pyraustam, quia tormenta ab alio, scil. a Tyranno erant inferenda Martyribus; sed Pyrausta ipsemet erat, qui erat descensurus in copulam; & ipsemet fuit, qui per duo conjugia se exposuit periculo fruftrandi virginitatis propositum.

At licet Martyr ab alio debebat pati mortem, atque tormenta; tamen si metu victus fidem negasset, ipse Martyr fuisset ille, qui se hujus peccati periculo exposuisset, dum sua confessione irritasset Tyrannum, coram quo Evangelicam fidem nec coactus, nec requisitus prædicasset, & exaltasset, veluti si Pyrausta tenui, vel nulla gratia Divina suffultus continuo, & frequenter cum suis Conjugibus conversatus fuisset; & ab illarum illecebris, & pulchritudine fuisset stratus, & victus; esto conjuges eum illexissent, & vulnerassent, tamen Pyrausta fuisset ille, qui se exposuit horum vulnerum gravi periculo, & ideo Pyrausta sic inermem se exponendo peccasset, quia se exposuisset periculo mutandi factum de virginitate propositum. Veluti ergo multi Martyres, inter quos Georgius, & Catharina, non se exposuerunt peccandi periculo; quia impulsu Divinæ gra-

gratiæ ſpecialiſſimæ moti ſunt ad ſponte provocandos, irritandoſque Tyrannos: ſic Pyrauſta, quia ſpecialiſſima Dei gratia impellente motus eſt ad conjungendum conjugia cum virginitatis propoſito, nulli ſe expoſuit peccandi periculo. Taceo poſtea reperiri aliquos mihi notos, qui quamvis non frigidi, abhorrent tamen copulam exercere cum fæminis, & hoc, quia putant in exercitio copulæ hominem inſanire.

Arbitror hujuſmodi temperamenti fuiſſe Xenocratem; ad cujus thorum cum Phrynes fuiſſet immiſſa, rogata illa quid ſua elegantiſſima forma, & lenociniis de Philoſopho retuliſſet, fatendo ſe ſpretam, & victam dixit: cum ſtatua ſeſe, non cum homine cubuiſſe. Si tale ponatur fuiſſe Pyrauſtæ temperamentum, jam habeo eum ſolis viribus naturalibus nulli ſe expoſuiſſe peccandi periculo. Sed meliores, & fortiores debet Eccleſia Chriſti habere Xenocrates; & ideo pono Pyrauſtam communi omnium concupiſcentia fuiſſe vexatum; num ideo matrimonia contrahendo imprudens fuit, & ſe expoſuit peccandi periculo?

Si ſic eſſet, non referendi eſſent inter Sanctos Henricus, Eleazarus, Pulcheria, & alii quindecim quos ſtudio brevitatis omitto, qui contraxerunt ſimilia Matrimonia cum Pyrauſtanis; cum tamen Eccleſia hos veneretur; nec unquam ſenſerit eos in tali facto peccaſſe, aut molitos id imprudenter.

Si ſic eſſet, imprudentiæ, atque temeritatis culpanda eſſet magna illa Tereſia, dum votum illud emiſit veriſſime ſuper arduum de faciendo quidquid eſſe perfectius intelligeret.

Immanitatis inauditæ accuſandus eſſet Franciſcus de Paula, qui votum edidit primus æquandi vitam ſuam, totiuſque ſuæ poſteritatis cum quadrageſimali jejunio.

Incuſandus eſſet inſolentiſſimæ temeritatis ille magnus Antonius, qui cæſus, ſtratus per verbera catenarum, & adeo putatus mortuus, ut noctu a ſuis ſacri funeris ſibi perſolverentur officia, vix halitu vitæ utcumque reſumpto rurſus prodivit in aciem, & inſultando rurſus Dæmones provocavit, ut in ſe, quantum vellent, ſævirent; quia jam toties fuerat expertus eos in ſe nullius eſſe virtutis. Inſignis inſaniæ homo cenſendus eſſet Simeon ille Stylita, qui fixus manens in altæ columnæ cacumine diu ſibi præcluſit itinera, & inceſſus, & ſe tot torrentibus ſolibus, & ſuccedentibus Aquilonibus fere nudum expoſuit.

Prodite nunc tot agmina Martyrum promiſcuæ ætatis, & ſexus; & neſcio an ſit, qui vos arguat, quia ſponte irritaſtis imperia Poteſtatum, & Tyrannorum, ut in vos ſævirent cumulando tormenta ſuper tormenta ad necem uſque, quam avidiſſime concupiveratis. Utique concupiſcentia vitæ ſervandæ potior, & vehementior eſt illo fomite qui ſolet ad carnalem copulam inſtigare; quia illa ad conſervandum proprium eſſe, hæc autem ad opus, & actum ſecundum urget, & ſtimulat; & cur non ſunt culpandi tot Martyres, tanquam ſe exponentes periculo deſerendi fidem ob mortis metum, quæ eſt proprii eſſe deſtructio? culpandus vero Pyrauſta tamquam imprudens; quia per duo conjugia erumpere potuit in copulam maritalem, per quam violaſſet ſuum de virginitate propoſitum.

Omnia poſſum in eo, qui me confortat, dixit Apoſtolus ad Philip. 4., cum tamen eidem datus ſit ſtimulus carnis, qui ter eum cædebat in die; & ſentiunt non pauci Doctores hunc ſtimulum non intelligendum eſſe de Satana verberante, ſed de fomite carnis, qui Paulum acerbiſſime divexabat; & ideo a Deo permiſſum eſt tantum Apoſtolum virginitatis cultorem hoc ſtimulo fodicari, ut victor evadens non ſolum de externo, ſed etiam de interno referret hoſte victoriam.

Eſt ergo recurrendum ad Deum ſpecialiſſime irradiantem, inſpirantemque in hoc heroico Pyrauſtæ noſtri propoſito; Deus namque, ut ſuum agrum Eccleſiæ fertilem novo virginitatis flore vernantem efficeret, ſpecialiſſimo gratiæ genere inſpiravit Pyrauſtæ, ut in duplici Matrimonio miranda daret experimenta conſtantiæ in virginitatis propoſito, & unam Eccleſiam muniret exemplo, alteram vero ditaret novo germine Sanctitatis. Deinde Chriſtus ipſe ut ſuum meritum extenderet ad omnigenum voluntate, non vero neceſſitate quibuſdam paſſionibus non ſibi indecoris voluit afflictari, puta pavore, dolore, fame, ſiti, atque triſtitia, neſcio cur Pyrauſta ſit arguendus quia difficillimo cum carne conflictui ſe liber expoſuit, ut meritum ſuum ſingulare faceret, & augeret. In hoc ſtat pro me Auguſtinus qui ſic me confirmat: *Per tentationem probatur virtus, & exercetur; & glorioſior palma eſt non conſenſiſſe tentatum, quam non potuiſſe tentari.* De Chriſto quoque dixit Apoſt. ad Hebræos 4. *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Ut igitur Pyrauſta ad cumulum meriti ingentis accederet, in ſuo propoſito tentari voluit per duo conjugia.

Objecit mihi unus ex R. R. P. P. Theologis injuriam factam fuiſſe conjugibus, quæ neſciverunt hujuſmodi Pyrauſtæ propoſitum; & deinde eſto ſciverint, tamen erubuiſſe exigere debitum maritale puellari verecundia id prohibente, ſed.

Dubium propoſitum reſolvendum eſt non divinando, nec per remotiſſimas conjecturas, ſed per illas circumſtantias, quæ in propoſitione dubii fuerunt expreſſæ. At in illa, & ex illa, habetur, & infertur contrarium ei, quod eſt objectum; nam Pyrauſta dictitabat, id eſt frequenter dicebat, atque vulgabat, ſe quærere ſponſam talem, cum qua liceret vivere in caſto, & virginali conjugio &c.: & poſt pauca; ita ut jugum matrimonii abſque carnis tribulatione ſuſtinere valeret.

Deinde de Patre puellæ affecuto Pyrauſtæ propoſitum, refertur dixiſſe Pyrauſtæ ſe deſpondere ei puellam, qualem ipſe cupiebat. Si non credatur dictum frequenter a Pyrauſta perveniſſe ad aures puellæ, quæ prior nupſit Pyrauſtæ; tamen eſt penitus incredibile Patrem puellæ non ſignificaſſe puellæ Pyrauſtæ propoſitum; & hoc quia pauperes genitores gravati filiabus collocandis in matrimonium ſæpiſſime, vel lamentando, vel conſolando, loquuntur cum eiſdem, aut de mediis, aut de conditionibus virorum, qui poſſent eas ducere in uxores.

Tum quia quis dicet puellæ patrem dixiſſe Pyrauſtæ dare ſe ei ſponſam qualem ipſe cupiebat, & minime ſignificaſſe filiæ ſuæ Pyrauſtæ propoſitum?

Incredibilitas prædicta fundatur in eo, quod in eadem dubii propoſitione narratur, in qua habetur ſic. Excepto matrimonii congreſſu, quem nec ipſa Sponſa petebat, nec appetere unquam oſtendit. Hæc verba indicant puellam edoctam a Patre de Pyrauſtæ propoſito, vel ob puellarem ſimplicitatem nihil ſciviſſe de copula maritali, vel eam etiam a ſe propoſitum ſimile effeciſſe.

Item, quia ſponſus ſponſæ caſte blandiebatur, potuit facillime ſponſa aliquo nutu ſignificare ſponſo voluntatem copulæ, & debiti, quod exigebat; cum tamen de ea narretur, nec appetere unquam oſtendit.

Denique propulſatur in Pyrauſta quævis ſuſpicio imprudentiæ, & injuriæ, quæ dicitur ejus illata conjugibus per illud Apoſt. ad Philippenſes 1. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Pyrauſta conjungendo conjugium cum virginitatis propoſito molitus eſt opus bonum; nam prima bonitas operis deſumitur ex objecto; & hæc duo objecta *Virginitas*, & *Conjugium*, tam ſeparata, quam juncta conſtituunt bonum objectum, imo conjuncta ob ſui ſingulare conſtituunt objectum ſuperegregium ob ſummum difficile; & quia pauciſſimi conjuges id præſtitere. Deſumitur etiam bonitas actus ex fine; & finis Pyrauſtæ fuit imitatio Matrimonii D. Joſeph. Utique hæc imitatio bona eſt, & non vetita, quia ſi Chriſtus ipſe vel conſuluit, vel præcepit Deum ipſum ab hominibus imitandum, & Deum ipſe tunc vocat Patrem; etiam tenendum eſt conſulere ut fideles in perfectione imitentur ſuum Patrem putativum S. Joſeph, de cujus probitate facer textus teſtatus eſt ſimpliciter juſtum ſine ulla diminutione. Matth. 1. *Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus.* Demum ex propoſitione dubii nulla poteſt deprehendi circumſtantia, per quam vitietur illa duplex operatio Pyrauſtana; & ideo opus illud Pyrauſtæ habens integritatem requiſitorum omnium concurrentium ad bonitatem moralem eſt bonum morali bonitate, ſuper quam fundatur bonitas Theologica, & meritoria; hoc poſito.

Docet fides, docet Apoſtolus quodlibet tale opus a Deo præveniente incipere, & hoc per gratiam, quæ præveniens nuncupatur. Docet idem Apoſt. Deum eſſe qui opus bonum tale perficiat, nam dicit *perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu*; tunc vero opus bonum a Deo perficitur, cum dantur gratiæ concomitantes, & conſequentes ad idem opus; & inſuper dantur omnia media perducentia ad finem intentum.

At ſi Pyrauſta volente conjungere cum virginitate conjugia Deus paria auxilia Pyrauſtæ conjugibus non præbuiſſet; tunc utique incæptum bonum opus non perfeciſſet; quia ſi conjuges illæ non annuiſſent Pyrauſtæ propoſito, tenebatur Pyrauſta a propoſito ſuo recedere: præterea, qui vult finem, & efficaciter, vult quoque media, quæ ſunt neceſſaria; atque ideo ſi Deus voluit finem Virginitatis in matrimoniis Pyrauſtanis, & efficaciter voluit, quia illa matrimonia uſque ad finem exercuit virginitate ſua prorſus illæſa, pie exiſtimandum eſt paria auxilia fuiſſe data conjugibus; & de iſtis auxiliis opinandum eſt Pyrauſtam aliquam certitudinem habuiſſe, eſto non fidei, nec ſcientiæ. Per hoc evincitur Pyrauſtam prudenter, innocenter, & procul omni injuria ſuarum conjugum ſe geſſiſſe.

Dum in congreſſu habito promovi hoc argumentum pro bonitate operis Pyrauſtani, aſſignata fuit ab uno P. Theologo hæc circumſtantia Pyrauſtæ operationem inficiens, quia ſcilicet Pyrauſta poterat ducere in uxores mulieres provectæ ætatis, & vetulas, quibus tamen poſt habitis duxit adoleſcentulas, & puellas. Addidit idem ideo reprehendendum eſſe Pyrauſtam, quia poſt primum conjugium ad ſecunda vota tranſivit.

Sed quivis poteſt advertere quanti roboris ſit allata reſponſio; nam ſi Pyrauſta habebat pro ſui operis fine imitationem Matrimonii D. Joſeph cum MARIA DEIPARA, debebat Pyrauſta ſenex, ut Joſeph deligere Sponſam Virginem, & florentem ætate puellam, qualis erat Deipara, quæ tunc temporis, nec decimum quartum annum ætatis impleverat; & hoc, quia Matrimonium ſuum intendebat aſſimilare cum D. Joſeph conjugio. Item ubinam reperiuntur fæminæ iſtæ anus, & vetulæ, quæ ſaltem aliqua delectatione morosa per longum vitæ ſpatium non inquinaverint mentem ſuam? & eſto aliqua reperiretur, quis poteſt eſſe certus morali certitudine, illam tentationibus magnis pulſatam, aliqua voluptate mentali non ſe infeciſſe? Secus res ſe habet in puella ſimplici, & probe educata; nam ex hiſce puellis, non una, vel duæ, ſed quandoque plures, & plures in eadem Urbe repertæ ſunt, quæ nil prorſus norunt de copula maritali; & ideo, quia per puellas, & non per vetulas Pyrauſta potuit majori ſimilitudine, & certitudine imitari matrimonium Joſeph cum Deipara, deſponſavit ſibi non vetulas, ſed adoleſcentulas.

Deinde, quia ex objecto, & fine patet Pyrauſtam operari voluiſſe actum virtutis heroicæ, ſi vetulas duxiſſet in conjuges, nulla fuiſſet ſibi lucta cum carne; nam vetulæ edentulæ ſæpe, atque deformes potius ad fugam provocant, & ad faſtidium, quam ad copulam, & voluptatem; & ſic in Pyrauſta, nedum heroicum non eduxiſſet, ſed nec etiam caſtitatis, & continentiæ nulla veſtigia oſtendiſſet; cum virtus quæcumque reſpicere debeat arduum, & difficile.

Rurſus in propoſitione dubii habentur hæc verba exprimentia alteram intentionem Pyrauſtæ præter primam; (& rem ſuam familiarem cura ſponſæ muniret.) Duxit ergo conjugem Pyrauſta, ut ſe, remque ſuam familiarem cura ſponſæ protegeret; at vetulæ ad curam hanc ſunt penitus ineptiſſimæ, & debent regi, non regere. Idem finis excuſat Pyrauſtam a labe, quam poſſet ſubire ex ſecundo matrimonio, quod contraxit prima uxore demortua; quia graviori ætate procedente, plus conjugali indigebat ſubſidio: imo in hoc locum habet etiam primus finis, ſcilicet imitatio Matrimonii D. Joſephi, quem quia nec per integrum annum imitari valuerat, voluit bis imitari ducendo ſecundam uxorem.

Do, non concedo adverſario ſecundas nuptias eſſe damnabiles; tunc ſolum haberet locum ſomniata damnatio, quando illæ traherentur in argumentum infatiatæ ſalacitatis; at in Pyrauſta ſecundæ nuptiæ cum propoſito virginitatis ſunt potius teſtimonium infallibile geminati conflictus, geminatæ victoriæ, duplicis lucri duarum virginum, duplicifque triumphi.

Tum quia quis dicet ſecundas nuptias eſſe damnabiles? nullus hoc dicet præſertim in Evangelica lege; nam 32. *quæſt. pr. cap. hac ratione, & cap. quomodo* ſecundæ nuptiæ permittuntur. Rurſus 31. *quæſt. pr. cap. aperiant cap. Deus & cap. quod ſi dormierit*, definiuntur licitæ; & quod licitum eſt non eſt damnabile. Hoc idem eſſe licitum ſtatuit *Innoc.* Quartus *conſtitutione* 14. *ſub Catholicæ*.

Dum dixi regimen, curamque familiæ fuiſſe, finem a Pyrauſta intentum in duobus matrimoniis a ſe contractis, id intellexi de fine minus principali, & ſecundario, non principali, atque primario; nam iſte fuit imitatio Matrimonii D. Joſeph cum Deipara Virgine; nec repugnat operantem operari poſſe ob duos, & plures fines, quorum unus ſit primarius, alter vero, vel alii ſint ſecundarii.

Quoque in congreſſu habito dixi relato P. Theologo, mirum eſſe ab eo negari rationem meam depromptam ex bonitate objecti, finiſque, cum ipſe non veritus ſit in Archigymnaſio defendere publice ex Cathedra Circumciſionem licitam eſſe hac tempeſtate, ſi id fiat ob finem imitandi Chriſtum Jeſum.

Tandem Pyrauſtæ moralis prudentia ſtabilitur ratione eruta ex natura propoſiti; nam in propoſitione dubii ſemper dicitur ille feciſſe propoſitum de Virginitate ſervanda, non votum; ideo operæ pretium eſt oſtendere Pyrauſtam per tale propoſitum

tum nullum subiviſſe peccandi onus, nullum quoque periculum, ſi a Virginitatis propoſito receſſiſſet.

Pro hac re ſtant mihi, faventque S. S. Canones, & Canoniſtæ; nam de Voto, & Voti redemptione *cap. litterarum* eſt definitum propoſitum faciendi aliquod bonum non obligare. Ibidem eſt quoque fancitum, propoſitum intrandi Religionem non eſſe votum; & ideo dixi ſuperius obligationem ex voto naſcentem ſtrictiorem, & fortiorem eſſe illa, quæ ex propoſito ſimplici ortum ducit. Deinde etiamſi ſacri Canones de propoſito nil ſtatuiſſent, ſignificatio ipſa propoſiti poteſt quemcumque convincere; propoſitum namque eſt derivatum a verbo propono, quod ſignificat aliquid mente ſtatuo, vel delibero: ſic Seneca: *id in primis animo eſt proponendum, ut recte vivamus*. Definitur ergo propoſitum ſic: Eſt ſimplex humanæ mentis intentio, qua homo deliberat, & determinat, ſe opus aliquod facturum, vel omiſſurum. Hoc ſtante quis audeat dicere reum peccati, qui Deo confiſus propoſuit operari bonum melius, atque perfectius, & poſtea videns, attentiuſque conſiderans, ſibi a Deo non danda eſſe illa auxilia, per quæ fieret potens ad exequendum, & ad reſiſtendum tentationibus vehementibus, recederet a propoſito de meliori bono, & bonum minus, cui par eſſet, & pro quo divina ſibi præſtarentur auxilia amplecteretur, exequeretur? Nemo eſt, qui poſſet tingere umbra peccati proponentem eleemoſinam largam, & poſtea comutantem in parciorem, præſertim ſi recens exortum ſit impedimentum, propter quod difficulter larga propoſita valeat erogari, vel peccaſſe illum, vel ſe expoſuiſſet peccati periculo, cum largam erogare propoſuit. Taceo ſimpliciter proponentem aliquod ſupererogationis opus poſſe licite abſque ulla compenſatione facienda per minas bonum a propoſito de meliori bono recedere, & hoc quia per propoſitum nulla inducitur obligatio. Ob eamdem rationem poteſt libere, abſque ulla cauſa inducente difficultatem propoſitum non adimplere.

His aliiſque permotum puto noſtrum Pyrauſtam inclinaſſe ad propoſitum potius, quam ad votum, ne ſcilicet ex obligatione per votum inducta, prævaricando poſtea peccato eſſet obnoxius; ne videretur ſibi nimium de ſuis virtutibus, & de ubertate divinæ gratiæ polliceri, ne ſi res non bene ceſſiſſet, imprudentiæ, & temeritatis tenebris adumbraretur, ne ſubdole voti prætextu incuſaretur omnem ſpem petendi debitum ſuis conjugibus præcluſiſſe, ne inſoliti voti jactantia altiſſimum ſuæ modeſtiæ deprimeret, & dejiceret, & denique ſi non ſequeretur effectus, aliquo premio dignus eſſet affectus.

Ex propoſito ergo Pyrauſtæ, ſatis liquet eum, nedum omnem imprudentiæ ſcopulum evitaſſe, ſed etiam ſummum prudentiæ attigiſſe faſtigium; & revera ſi per omnes prudentiæ partes, potentiales ſcilicet, ſubjectivas, & integrantes enumerando fiat diſcurſus, nulla eſt, quam Pyrauſta non ad amuſſim attigerit. Si etiam de imprudentiæ partibus, & ſpeciebus fiat ſermo, patet quoque a Pyrauſta procul fuiſſe præcipitationem, inconſiderationem, inconſtantiam, & negligentiam: nulla fuit prudentia carnis, nulla aſtutia, nulla fraus, & nullus dolus, quarum imprudentiarum abſentiam longiſſimam poteſt quivis advertere ex ſola propoſitione dubii; ſecundum quam, & non aliter reſolvendum eſt dubium.

Sed ego contra me ipſum inſurgo, & ſimul objicio a me ommiſſam eſſe ſolicitudinem, qua ex propoſitione caſus viſus eſt laboraſſe Pyrauſta; nam ſuis laboribus rem familiarem adauxit; præterea dicitur ſponſam accepiſſe, ut ſe, & rem ſuam familiarem cura ſponſæ muniret; & præterea magnitudo divitiarum, quas dicitur comparaſſe, aperte indicat Pyrauſtam habuiſſe ſtudium immoderatum acquirendi, & conſervandi temporalia, contra illud Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, & nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*; ex his recte concluditur ſpecies imprudentiæ, quæ dicitur ſolicitudo.

Sed pro ſolutione hujus argumenti, quod nunquam promotum fuit in duobus congreſſibus, adduco primo D. Ambroſium, qui lib. 8. in Lucam ſic docet: *Diſcant Divites non in facultatibus crimen hærere, ſed in iis, qui uti neſciant facultatibus, nam divitiæ, ut impedimenta improbis, ita bonis ſunt adjumenta virtutis*. Ecce nunc docet Ambroſius divitias indifferentes eſſe ad bonum, & malum; & ex fine, & uſu fieri bonas, vel malas; & ſane divitiæ ex ſe malæ eſſe non poſſunt, aliter Abraham, Iſaac, Jacob, David, Joſaphat, & Ezechias eſſent inter peſſimos referendi, quia ingentes divitias poſſederunt: Deus quoque cul pandus eſſet, qui in lege veteri cultores ſuos reddebat divites, & opulentos; & ſummum nefas eſt dicere Deum ſuis præmio dare ſaltem incentiva peccati. Tunc ergo ſunt malæ divitiæ, quando poſſidens abutitur illis ad obtinendum finem malum, & indecorum, puta ad indulgendum genio, ad lupanaria, ad pompas, ad juſtorum everſiones, & ad alia indigna relatu.

At legatur in propoſitione dubii ad quem finem ſuas divitias Pyrauſta direxerit: non quidem ad ſcortationes, illicitoſque concubitus; nam dicitur virginitatem, & caſtitatem adeo coluiſſe, ut nedum de mulieribus, ſed de ipſo quoque Diabolo ſibi apparente in fœminea ſpecie triumpharit: quommodo potuit abuti divitiis, ſi de eo dicitur profeciſſe de virtute in virtutem; & ſummam venerationem adeptus per heroicæ virtutis ſpecimina. Pyrauſtæ finis egregius fuit, ut conjungeret cum cœlibatu conjugium, & ut hunc finem tantum aſſequeretur, neceſſe fuit comparare divitias; quæ enim fœmina locuples fuiſſet conjuncta per matrimonium huic viro humili genere nato cum onere caſtitatis perpetuæ, & tamen Pyrauſtanæ divitiæ effecerunt, ut duæ puellulæ honeſtiſſimæ, ſed pauperimæ cenſu, licet ditiſſimæ theſauro virtutum non dedignarentur, imo aviditiſſime concupiverunt, cum Pyrauſta contrahere matrimonium; ſic enim evaſere periculum inhoneſtatis, quam ſubire poterant paupertate cogente.

Aliter fuit finis Pyrauſtæ, ut ſuis opibus puellas nubiles pauperes educaret; in tantum ut a ſecunda conjuge, quam ante nuptias ſolo Dei amore motus educaverat, vocaretur Pater, & ipſe illam ut ſuam filiam agnoſcebat.

Tertius finis fuit Pyrauſtæ, ut aggrederetur heroicum in contemptu divitiarum, & conſumaret; nam ſi in paupertate degens Mundo ſe abdicaſſet, nihil ſane reliquiſſet de mundo; ſed per Religionem, quam fuit ingreſſus, paupertati ſuæ potius providiſſet; at quia ante ſuum ingreſſum ad Religionem facultates ſuas Chriſto diſtribuit, & pauperibus, paupertatis voluntariæ valde egregium poſteris reliquit exemplum.

Hi fuere fines Pyrauſtæ ad acervandas, conſervandaſque divitias: & in his congregandis ſemper ſe præſtitit innocentem: imo ad heroicum miſeriſordiæ ergo pauperes aſpirantem, & anhelantem.

Nec in eo aviditas imprudens, & vitioſa fingenda eſt, quæ in avaris; nam iiti ſibi congregant, & conſervat, nec opes dirigunt ad bonum finem; Pyrauſta vero, ut declaravit eventus, ad tres fines præfatos opes ſuas direxit. Si quis animo nil pro ſe retinendi, ſed animo ſolum ſubveniendi pauperibus quibuſcumque juſtis laboribus ſtuderet, & procuraret comparare divitias, & pecunias ſine numero; nedum non peccaret, ſed ſummum attingeret plurium virtutum, ſcilicet prudentiæ in primis, deinde charitatis; miſericordiæ, atque munificentiæ &c.; quia hic ad finem optimum dirigeret medium prorſus indifferens ex ſui natura; redditum tamen optimum ex optimo objecto, vel fine. Ex quo colligitur evidenter nullo ſordido avaræ cupiditatis inquinandum eſſe Pyrauſtam ob divitias congregatas; ſed potius ad Cœlum uſque laudandum, & extollendum; quia propter finem eas comparavit altiſſimum.

Reſolvitur tertia pars quæſiti, quæ eſt an Pyrauſta in Matrimoniis heroicæ virtutis actus effecerit.

IN duobus congreſſibus habitis ab octo Theologis de heroico, ut eſt heroicum, nihil eſt tactum; & ideo ego quæſitum revera in duas partes propoſitum, in tres partes diſſecui; fieri nam poteſt, ut fere ſemper evenit in iis, qui communi virtute ſunt virtuoſi, eſſe actum virtutis quidem, ſed non heroicum; & cum in ſecunda parte reſolutionis meæ probaverim in Pyrauſta virtutem prudentiæ, nunc heroicum ejuſdem virtutis aggredior ſolidare.

Pro quo primum admoneo heroicum eſſe vocabulum a gentilitate in Chriſtianos invectum; ſignificat vero apud Chriſtianos virtutis gradum, perfectionem, & excellentiam, qua homo circa materiam virtutis alicujus ſupra communem aliorum hominum operandi modum operatur; & per hoc Deo fit ſimilis, & apparet. In hoc conceptu heroici Scotus, Seraphicus, & Angelicus non diſcordant, & fere omnes. Itaque heroicum non video præferre virtutem aliquam diverſam a Theologicis tribus, quatuorve moralibus; atque ideo quælibet earum poteſt attingere heroicum; dummodo gradum ſummum attingat.

Ad hoc heroicum ſequaces ſuos hortatus eſt Chriſtus Matth. 5., cum dixit: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*; & Lucæ 6. *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt*. Ex his duobus locis eruitur, & heroicum dicere quandam cum Deo ſimilitudinem, & de heroico attingendo ſaltem datum eſſe a Deo conſilium.

Non nego apud Gentiles datam fuiſſe virtutem heroicam, ideſt aliquam ex quatuor Cardinalibus, quæ hominem ita perficeret, & adeo redderet excellentem, ut eum ſupra cæteros homines elevares, & eum ſimilem faceret Deo, vel Diis; & de hoc teſtes ſunt Ariſtoteles, & Averroes, aliique Philoſophi, qui ſuos agnoverunt heroes. At tale heroicum fuit Philoſophicum, & naturale; nunc vero in Pyrauſta noſtro eſt ſtatuendum Chriſtianum heroicum, quod eſt actio heroica Chriſtiana, & eſt hominis fidelis operatio in aliqua virtutis materia ob finem ſupernaturalem ſupra communem aliorum modum ex Divino dono ſeu inſpiratione procedens cum abnegatione ſive explicita, ſive implicita operantis.

Hæc cuncta reperiuntur in noſtro Pyrauſta; nam ut Deo quam maxima deſerviret, & complaceret, medium optimæ virtutis delegit, virginitatis ſcilicet, ac caſtitatis, de qua D. Ambroſius de Virginibus circa initium: *Hæc nubes, aera, Angelos, ſyderaque tranſgrediens Verbum Dei in ipſo ſinu Patris venit &c.* Ad caſtitatem, & virginitatem hanc communem, & reſidentem in voluntate, oportet ut præcedat dictamen prudentiæ in intellectu; nam quælibet virtus in voluntate ſupponit ſuam prudentiam in intellectu, & ex neceſſitate ſupponit, aliter virtus non eſſet; ſed per hoc ſolum habeo in Pyrauſta prudentiam, caſtitatemque communes, atque ideo:

Probo heroicum utriuſque; nam iſtæ duæ Pyrauſtanæ virtutes attigere gradum excellentiſſimum, & adeo eminentem; ut nullus excepto D. Joſeph ad illum ante pervenerit; non quidem ille Joſeph Patriarcha ad Cœlum uſque laudatus ob caſtitatis inſigne; quia etſi adoleſcens Dominam ſuam ad inhoneſtiſſima incitantem, & ſibi ſæpe moleſtam, conſtantia, & fortitudine in adoleſcentia ſua repulerit, ſemperque devicerit; tamen Pyrauſta noſter ſervili neceſſitate nihil obſtante duas dominas inſultantes, & ſimiliter provocantes devicit, ſtravit, eluſit: imo ipſum Diabolum fœminea forma, & fœminarum incantamentis armatum fortiſſime profligavit. Conferat quis Alexandrum, & Julium Cæſarem Dictatorem cum hoc juvene agricola, & alieno ſervitio mancipato; & quiſque ille ſit Judex judicabit, etiam ſi nolit, altioris gloriæ, & majoris fortitudinis incomparabiliter fuiſſe famulum hunc toties, & tam fortiter in Veneris arena vincentem, quam illos duos, qui Martis in campo collatis ſignis cum pluribus, pluribuſque validiſſimorum hoſtium exercitibus demeſſuere triumphos, & palmas; iſti enim alios, & a ſe diſſitos devicere unus Rex, alter Dux, & Dictator; ille vero ſervus ſeipſum, atque concupiſcentiam hactenus ab Adæ lapſu *demptis paucis, & parvulis*, ut ait Remigius, toto Orbe vincentem; imo ipſum Diabolum, ſeu Behemoth, de quo dixit Deus Job 41.: *Non eſt ſuper Terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret*, in juventute ſua, & toto ævo ſuo longiſſimo vicit; peſſum dedit, & habuit in ludibrio. Martinianus vix fuga, & igne ſe a concupiſcentiæ hoſte protexit: alii noſtri Heroes in ſanctitate, ſcilicet Benedictus, Franciſcus, & cæteri nullo alio aptiori telo adverſus concupiſcentiam dimicarunt, quam fugiendo; ac noſter Pyrauſta in magnis opibus, & florente adoleſcentia conſtitutus non timuit maximas urbes incolere, in quibus ut plurimum innumera ſunt irritamenta libidinum; ab Hiſpanis ſe tranſtulit in novam Hiſpaniam, nec exhorruit magna pericula caſtitatis, quæ longa itinera ſecum ferunt. Denique velut miles factus emeritus per mille ſtipendia Virginitatis in ſenio voluit collato pede cum tanto hoſte conſligere, & duas duxit conjuges ſucceſſive, quas ad propoſitum Virginitatis allexit potius, quam attraxit, blandiebatur illis, ſed ad reportandum majora lucra virtutum; aſſidebat, colloquebatur, & commenſalis erat iiſdem; ſed ut illas frequenter verbo inſtrueret, & exemplo; denique, ipſe vir ſummæ virtutis poſt pias preces extra thalamum in terra juxta ipſas cubabat.

Ex hoc poſtremo a me ex propoſitione dubii fere ad verbum translato, miror quoſdam permotos ad ambigendum an Pyrauſta ante preces ſimul cum ſua nupta in lecto cubuerit? cum ipſum non cubuiſſe ex verbis allatis ſit manifeſtum; nam prius habetur ſic: eam in thalamo collocabat, & poſtea nullo alio interjecto. Verum ipſe virtutis vir poſt pias preces extra thalamum juxta illam in terra cubabat: illa adverſativa (verum ipſe) demonſtrat cuicumque eum in thalamo non cubuiſſe, poſtquam ſponſam in thalamo collocaverat, & ly (poſt pias preces) non dat intelligere pias preces in thalamo fuiſſe peractas; ſed modificat Pyrauſtæ cubitum factum in terra; & ſonat prius eum in terra precatum fuiſſe, & in terra poſtea cubuiſſe; aliter debuiſſet dici ſe, & illam in thalamo collocaſſe;

locasse ; quod si evenisset adhuc Pyraustæ castimoniam non læsisset , sed magis heroicam reddidisset , quia plus collato pede cum hoste certasset .

Quidquid sit de hac re , sive unus , vel alter modus cubandi dicatur, semper heroicum in Pyraustana prudentia , & castimonia demonstratur ; nam semper novo genere pugnandi contra incontinentiam Pyrausta pugnavit, etenim extra thalamum cubando juxta illam cubabat , & sic quoque proximum habuit motivum violandi factum de castitate propositum .

Augetur heroicum in prudentia & castimonia Pyraustana per adversitates quas maximas passus est a parentibus puellarum , quæ sibi nupserunt ; & per id sua quoque fortitudo, & constantia erigitur ad heroicum, nam minis , injuriis , contumeliis impetitus , omnia æquanimiter tolleravit , & respondendo semper modeste , promissis etiam etiam conabatur feroces animos emollire ; per quæ patientiæ, & modestiæ in virtutibus demonstravit heroicum .

Sed præ cæteris in castimonia Pyraustana fulget heroicum, ex fine, ob quem ad ineunda conjugia motus fuit hic bellator , & milles egregius. Ideo illa duo contraxit , ut bis , non semel Sanctum Joseph imitaretur; & per hoc Pyraustæ prudentia transit ad Christianum heroicum, nam esto hæc prudentia pro fine immediato respexerit Matrimonium Mariæ cum Joseph ; tamen ad Christum & Deum ultimate tetendit; cum qui vis advertat ex matrimonio illo Deiparæ Christum Deum, & hominem resultasse vices Josephi Spiritu Sancto supplente . Heroes alii in Christiano Cœlo fulgentes iniverunt quidem conjugia , in quibus castitatis proposito , vel voto quoque se obstrinxerunt ; sed solus Pyrausta fuit ille, qui hanc supereminentem conditionem adjecit ; solus Pyrausta cum proposito, non cum voto se illigavit; & hoc , quia nihil facessente libertate transgrediendi impune propositum, dum non est transgressus , beatitudinem promissam Ecclesiastici 31. *ei , qui potuit transgredi, & non est transgressus* , sibi fortius , & gloriosius vindicavit .

Elucet etiam heroicum Pyraustæ prudentiæ , quia non se inermem , sed pluribus vallatum experimentis, in quibus advertit nunquam sibi Divina auxilia defuisse , se dedit tanto certamini ; & rursus , quia non adolescentiæ æstu in deteriora incitante , sed senili gravitate aggressus est duo conjugia, & in utroque tenacissimus fuit sui sancti propositi, ut comprobavit eventus.

Hoc opus insigne Pyraustæ fuit hominis quidem fidelis ; fuit multiplex , quia in multiplici virtutum materia ; fuit quoque supra aliorum communem operandi modum : fuit etiam ob finem supernaturalem , & ideo ex his quæ dixi , multa habet , quæ Christianum heroicum integrant , vel constituunt . Sed unum , videtur deficere ; & illud unum est , ut tale opus sit ex Divino dono procedens ; & ideo, ut hoc probem :

Admoneo in homine de divinis auxiliis , & donis sibi actualiter in existentibus nullam dari posse certitudinem, quæ sit vel fidei , vel scientiæ ; quo tamen nihil obstante potest de iisdem certitudo aliqua moralis haberi ; ex quidem si sit prudentia Christiana communis , hujus in Pyrausta signa sunt evidentia ; nam prompte , faciliter, ac delectabiliter ad finem debitum & supernaturali motivo direxit media singularia consultando de illis, judicando, atque præcipiendo juxta legem , seu moralem scientiam ; & totum patet eum executum fuisse ex propositione dubii , secundum quam resolvo difficultatem ; in ea enim habetur Pyraustam a Deo fuisse præventum ; & rursus dicitur fuisse amore, fide, & pietate maxima erga Deum . Cum vero contraxit conjugia de eo dicitur : (prudenter perpendens non esse bonum hominem esse solum) ; per quod satis ostenditur ex motivo revelato in Sac. Scriptura , & supernaturali eum ad matrimonia processisse . Alia quoque exprimuntur ibidem , per quæ indicatur Pyraustam, semper ad Deum, & Divina auxilia respexisse ; atque ideo indubium est Pyraustam ex illuminatione supernaturali operatum fuisse ; ita ut plenissime adimpleverit illud Apost. ad Coloss. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere , omnia in nomine Domini Jesu Christi facite* , & ecce in Pyrausta extitit prudentia Christiana .

Nunc in hac Prudentia Christiana signa heroici sunt assignanda ; hujus signa a me duo statuuntur. Primum est consulere , judicare , præcipere materiam virtutis, quæ in difficultate multum superet, excedatque communem, & ecce noster Pyrausta conjungendo cum proposito castitatis bina conjugia difficilimam , & fere intentatam ante aggressus est materiam castitatis : rursus imitatio Matrimonii Divi Joseph cum Sponsa Deipara fuit finis nimis distans in altitudine , & singulari a finibus proximos aliorum hominum , qui in castitate vixerunt .

Alterum signum heroici , quem tradunt aliqui, est ut prudentia Christiana attingat heroicam superetque communem, aliam promptitudinem , & facilitatem in consultando , judicando, atque præcipiendo habere non potest , quam ut statim absque longo discursu dictet quid in aliquo agendorum, sive monastico, sive œconomico, sive politico ordine sit agendum, utendo mediis efficacioribus , & potioribus ; & id debet ducere ortum primo ex dono scientiæ, quo agibilia moralia certo sciuntur : secundo ex dono consilii , quo singulare , ut illis conforme dictatur, & ex Dei instinctu procedit .

Totum hoc probat heroica Christi prudentia ; hic enim cogitatu non indigebat in operatione quarumcumque virtutum , & ideo Luc. 2. habetur : *Mirabantur super prudentia , & responsis ejus :* probant iidem istud idem ex illo Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo , aut quid loquamini .* Et denique probant evidentissimis exemplis veteris Testamenti ; nam Joseph ille filius Jacob sine ulla mora interpretatus est somnia Pharaonis ; & sic quoque Daniel celeriter explicavit tot obscurissima , quæ in suo libro narrantur . Omitto Moysem , Josue , Gedeonem , Sampsonem , Saulem, & David ; nam etiam Balaam ethnico , dicitur Dominus occurrisse, & tali occursu illa mirabilia prophetavit .

Quod maxime facit ad rem præsentem, in novo Testamento aptissimum est exemplum de Beatissima Virgine , quæ ut communiter defenditur , & tenetur, voto Virginitatis adstricta contraxit matrimonium , quod consumatura non erat . Certum est eam vi humani discursus consentire non potuisse, nisi ex Dei dono scientiæ , & instinctu quoque divino ad illum consensum fuisset adducta . Sic deinde solum freti Divinis illapsibus , & auxiliis nulla prævia mora , vel studio operati sunt Apostoli, & tot agmina Martyrum , atque Sanctorum . At hic modus operandi celerrime sine studio, humanoque labore proculdubio existimandus est in nostro Pyrausta ; nam hic puer pascendis gregibus, adolescens deputatus est agriculturæ ; & quomodo ovibus addictus, & tetræ intellectum suum potuisset erigere ad culmen tantæ prudentiæ, ut firmissime sciret non repugnare matrimonium cum virginitatis proposito, nisi Spiritu afflante divino fuisset edoctus ; imo puto eodem Spiritu illuminante , & erudiente forsan sciviſſe in hac conjunctione castitatis cum matrimonio futuros quosdam, qui illam non approbarent ; & ideo non votum emisit, sed fecit propositum non absolutum , sed conditione restrictum ; ut sic sui hostes facilius confutarentur .

Denique per hæc, quæ dixi, nedum in Pyrausta probatur heroicum in prudentia , sed etiam heroicum in castitate ; quia quale est dictamen prudentiæ , talis etiam est actus , vel habitus sequens , si tali dictamini est conformis . Quare si prudentia Pyraustana fuit heroica , castitas quoque conformata illi dictamini fuit heroica .

Per istud idem Christianum heroicum refellitur etiam quidquid de imprudentia , & de peccandi periculo in Pyrausta Adversarii cavillantur ; nam si heroicum tunc est in virtute , cum operans aggreditur objectum in altitudine nimis distans a virtutis communis objecto , vel protinus fine ulla mora consilii ex Dei speciali instinctu ad idem tendit objectum ; quomodo in Pyrausta imprudentiæ aliqua nota fingenda est ex hoc capite , quia scilicet aggressus est objectum adeo superexcellens a nullo fere , aut paucissimis ante tentatum , conjungere scilicet cum castitate conjugium ? aliter si ex capite magnæ difficultatis debuisset a proposito suo desistere , tunc , quia in heroico attingendo semper maxima est difficultas , a nullo , & nunquam tentandum esset heroicum contra duo prædicata a Christo consilia : *Estote perfecti sicut &c.* & Lucæ 6. *Estote misericordes sicut &c.* Et quomodo consultationis defectu statuenda est imprudentia in Pyrausta , si heroicum , ut dixi, debet repente a Deo procedere sine ulla mora consilii ?

Et si dicatur ideo Pyraustam debuisse hoc superarduum dimittere intentatum , quia certus non erat ex aliqua revelatione divina Deum esse , qui ad tantum opus impelleret : pariter de divina illuminatione , & inspiratione erat incertus .

At esto multi Heroes in Sacra Scriptura narrentur impulsi a divina revelatione ad moliendum heroicum ; tamen multi sunt etiam , qui solo interno Dei spiritu urgente ad heroicum se contulere ; & tamen isti nulla certitudine fidei , vel scientiæ certi erant se a Spiritu Dei fuisse permotos ad aggrediendum heroicum : æque neutram certitudinem habuere de motione interna an esset Dei auxilium, vel diabolica instigatio ; cum prima Joc. 4. sic habeatur : *Nolite omni spiritui credere , sed probate spiritus , si ex Deo sint ; quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in Mundum .* Quo tamen nihil obstante intrepide heroicum sunt aggressi . Imo nec qui per revelationem externam ad heroicum sunt incitati , aliquam certitudinem , vel fidei , vel scientiæ habuerunt , qua certi essent revelationem illam esse Divinam , non vero a Diabolo fuisse confictam ; ait enim Apost. 2. Cor. c. 11. *Ipse Satanas se transfigurat in Angelum lucis* ; & id facit Satanas , ut postea tali larva deceptis sua mendacia pro Divinis revelationibus valeat facilius venditare . Et revera Deo sic permittente non pauci per hujusmodi revelationes , & instigationes factas a Satana , & immissas miserabiliter decepti sunt , & habiti in ludibrio .

Inter innumera exemplum magnum est illud Polycronii Sacerdotis, & Monachi Monothelitæ , qui suam dementiam clare nimis aperuit in Synodo Sexta ; cum enim Dæmon ei per ostenta falsissima illusisset , tentavit mortuum facere redivivum ad veritatem sectæ suæ firmandam . Cum ventum esset ad opus coram magno populo, & multis Patribus Sancti Concilii , in aures cadaveris quandam chartam immisit, & in eisdem insusurravit pluries pluriesque ; sed tandem fassus est a se mortuum excitari non posse ; & sic ex mirabili heroe reddidit se ridiculum .

Inde fit, ut objectum , finis , & circumstantiæ actus sint illa, quæ valeant moralem tantum parere certitudinem de vero , atque syncero revelationum Dei , & divinorum auxiliorum . His adduntur securitas , perturbationum absentia , dulcedo quædam , hilaritas ingens , & inopina ; & tandem feliciter securus eventus ; & ultimum hoc, quod certissimum est in Pyrausta, demonstrat priora, & similia alia in suo aggressu non defuisse . Nosco me argumenta plurima omisisse , non neglexisse, quia illa latius, & nimis diserte promovit Auctor exhibiti mihi libelli ; quædam etiam addiderunt Patres octo facultatis Parisiensis Theologi . Hæc, & illa approbo , veneror , & admiror .

Sic resolvebam

Frater Nicolaus Buico de Spinazzola stans pro Scoti Doctrina , & in Universitate Patavina Theologus primarius .

SUFFRAGIUM THEOLOGICUM.

TAmetsi in ea facti specie, quæ Sac. Theolog. Patav. Collegio proposita est, istud unum potissime quæritur : An scilicet Vir religiosus , Pyrausta dictus , prope sexagenarius male se gesserit, & an potius heroicæ virtutis actus exercuerit duo illa ineundo sibi succedentia connubia, & quidem proposito , ut virginitatem egregie hactenus custoditam in matrimonio quoque servaret, quam reapse servavit ; tamen cum alia nonnulla sint intermixta , quæ nisi prius expendantur , ambigua fortasse , & non satis expedita fuerit ad quæstionem responsio : operæ pretium nos facturos putamus, si hæc ipsa breviter in antecessum expenderimus , ut facilius inde, atque certius hac de re judicium proferatur .

Tria itaque animadvertenda ducimus. Primum quidem recte distinguemus & initorum Connubiorum